Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

tellectum. Unde est illud. Cum venerit filius hominis putas inveniet fidem super terram? Preciosum autem tantum significat quia omne tantum preciosum. Unde scriptum est. Et sermo dei erat preciosus in illis diebus.

Super hoc celum conturbabo et movebitur terra de loco suo propter indignationem domini exercituum et propter diem furoris eius. ¶ Hic autem hyperbolice intelligi potest ut tantus videlicet babylonios terror obtineat ut ipsum eis firmamentum moveri videatur. Sive etiam per celum et terram angelos et homines contra eos pugnasse significat. Tanta enim fuit ira dei et indignatio et furor super eos. ¶ Allegorice autem celum et terra movebitur quia celum et terra transibunt et signa magna erunt. Virtutes celorum commovebuntur et erunt terre motus magni per loca.

Et erit dammula quasi fugiens et quasi grex ovium et non erit qui congreget. Unusquisque ad populum suum convertetur et singuli ad terram suam fugient. Omnes qui inventus fuerit occidetur et omnis qui supervenerit cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum diripientur domus eorum et uxores eorum violabuntur. ¶ Hostibus enim civitatem invadentibus populus qui in ea erat quasi dammula et oves quecumque animalia timidissima sunt quocumque poterant fugere ceperunt. Et quia ipse Baltasar rex eorum interierat nemo erat qui eos congregaret. Quod autem audivit Unusquisque ad populum suum convertetur et singuli ad terram suam fugient vel de captivis qui in ea tenebantur sicut erant iudei vel de militibus qui ad defendendam eam convenerant intelligi potest. Quicumque autem inveniebatur occidebatur et superveniens ubi hostes erant in gladio cadebat. Pueri allidebantur ad petram sicut David ante pronuntiaverat. Domus diripiebantur et uxores eorum violabantur. In iudicio autem postquam malignus spiritus et omnis illa timida turba dampnatorum a dei conspectu fugerit de quibus dicitur. Sicut oves in inferno posita sunt et mors depascet eos. Cum inquam hoc fuerit unusquisque ad populum suum convertetur. quoniam adulteri cum adulteris homicide cum homicidis similes cum similibus in inferno cruciabuntur. Tunc semper occidentur et numquam morientur et semper trucidabuntur et numquam interibunt. Vellent enim impii mori sed non possunt. Sed quid per filios nisi opera? quid per uxores nisi animas vel stultam eorum sapientiam intelligimus. Hec autem tunc allidentur diripientur corrumpentur violabuntur et igne perpetuo cremabuntur.

Ecce ego suscitabo super eos medos qui argentum non querant nec aurum velint. sed sagittis parvulos interficiant et lactentibus uteri non misereantur et super filios eorum non parcat oculus eorum. ¶ Hec autem quasi expositio superiorum. Dixerat enim superius. Babylonem enim esse destruendam. sed a quibus hoc fieret nominatim hoc dixit. Est autem quodammodo recapitulatio eorum que dicta sunt. Possumus autem per medos qui interpretantur mensura apostolos intelligere. qui frumentum divini eloquii equa mensura in populis dividebant. Neque enim omnibus omnia equaliter predicabant. sed iuxta intelligentium capacitatem cuncta deliberabant. Quorum princeps beatus petrus ait. Aurum et argentum non est mihi. Hii autem nulli etati nulli sexui parcebant sed ipsas adhuc parvulas et noviter natas iniquas cogitationes acutis scripturarum sagittis interficiebant. Beatus enim qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram. Hos autem et contrarias fortitudines intelligere possumus. que super iniquos in die iudicii nimia crudelitate desevient.

Et erit babilon illa gloriosa in regnis inclita in superbia Chaldeorum. sicut subvertit deus Sodomam et Gomorram. Non habitabitur usque in finem. et non fundabitur usque in generationem et generationem. Nec ponet ibi tentoria Arabs nec pastores requiescent ibi. Sed requiescent ibi bestie et replebuntur domus eorum draconibus et habitabunt ibi struciones et pilosi saltabunt ibi et respondebunt ibi ulule in edibus eius et syrene in delubris voluptatis. ¶ Subversa enim que babylon et ad similitudinem Sodome et Gomorre inhabitabilis facta in qua non pastores cum gregibus requiescunt sed fere et monstra eam inhabitant. Hoc autem et de ultima huius mundi subversione intelligi potest. Quia postquam dominus ad iudicium venerit et pro suis iniquitatibus peccatores condempnabit iam mundi huius habitatio nulla erit. Sed omnis eius gloria et pulchritudo quam Chaldei qui quasi demones interpretantur idest huius seculi sapientes in hoc mundo composuerunt subito ad nichilum redigetur. Non ponet ibi tentoria Arabs qui vespertinus interpretatur ille scilicet qui finem diei huius semper desiderat et ad vesperam pervenire optat ut denarium sui laboris accipiat. Qui etiam cum apostolo dicat cupio dissolvi et esse cum Christo. Nec pastores requiescent ibi quoniam simul cum gregibus suis ad pascua celestia transmigrabunt. Sed requiescent ibi bestie dracones videlicet et struciones pilosi ulule et syrene. Quid autem per hec monstra nisi omnia malignorum spirituum genera intelligimus. Sanctis enim ad regna vocatis et pec